

INSCRIPTIONUM
ANTIQUARUM RE-
PERTARUM

CLASSIS TERTIA.

IMPERATORUM, CÆSA-
RUM, AUGUSTARUM,
REGUM.

I.

Romæ.

D. IVLIO CAES. AVG.
VRBIS ET ORBIS HERO
POSTHVMVS XV. VIR
SCRIBA SENATVI
EDIDI
QVAE TEMPLI SACRVM
CONDIDIT
VNICO. B. M.

è Piccart.

Videntur duæ tresve in unam confusæ. *Urbis & Orbis hero* à Poëta non ita antiquo hemistichium desumptum est. Conradum III. Romanorum Regem S. P. Q. R. præclarum Urbis & Orbis Dominum adpellat apud Goldastum *Constit. Imperial. f. 261.* Posthumius Quindecemviralis Scriba exponendus est. Quindecem Viris S. F. commissa erat cura librorum Sibyllinorum; eos è Scto adibant, cum consulendi essent, & quid juberent, id renunciabant senatui, peragebantque omnia, quæ jussu carminum facienda essent. Huic negotio expediundo scribas non minus quam cæteri magistratus legebant vel conducebant: ex eorum Quindecem Viralium Scribarum numero censam fuisse istum Posthumium. Decem Viralem Scribam, qui simul Ædilicius, habes in 4. cccxxvi. De conditu sacrorum *ISIDIS* est 6. cccxii. Erat iste in secretâ parte templorum seu peno, quod non nisi Pontificibus intrare licebat. Sacrum autem penetrabile, quod omnium maximè arcanum esset, & à quoquam præterea hominum

minum